

certum est contigisse, qui dum somnia vehementer attenderet, ei per somnium longa spatia hujus vitæ promissa sunt. Cumque multas pecunias pro longioris vitæ stipendio collegisset, ita repente defunctus est, ut intactas omnes relinqueret, et ipse secum nihil ex bono sperare oporteret. » Simile huic refert Cæsarius, l. V. c. XVII. de quodam converso, qui : « Cum nescio quo tenderet, inquit, et avem, quæ cuculus dicitur, a voce nomen habens, crebrius cantantem audiret vices interruptionis enumeravit, et viginti duas inveniens, easque quasi pro omine accipiens, pro annis totidem vices easdem sibi computavit. Eia, inquit, certe viginti duobus annis adhuc vivam, ut quid tanto tempore me mortificem in ordine? Redibo ad sæculum et sæculo deditus, viginti annis fruar deliciis ejus; duobus annis, qui supersunt, pœnitebo. Haud dubium quin diabolus qui supradictum conversum, ut episcopus fieret ad credendum induxerat aperto sermone, et huic suaserit, ut tali augurio fidem adhiberet, et occulta suggestionem. Sed Dominus, qui augurium odit, aliter quam ille ordinaverat, disposuit: nam duos, quas pœnitentiæ deputaverat annos, eum in sæculo vivere permisit, et annos viginti deliciis ordinatos justo suo iudicio subtraxit. » Nemo igitur sibi vitæ limites præfigat, ne paucos quidem annos vel hic. *Tam debet esse mors ante oculos juveni, quam seni, non enim citamur ex censu, sed ex deposito, ait Seneca, in epist. Census non nisi evoluto termino, depositum autem omni tempore repeti potest. Talis est vita nostra, depositum, non census. Unde II. Pet. 1. ait Sanctus Petrus: Certus (sum) quod velocæ est depositio tabernaculi mei. Corpus ergo et vitam in depositum accipimus. Denique: Nisi conversi fueritis, ait Psalmista, Psalm. VII. gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis. Mors ecce gladio et sagittis utitur: illo in eos, qui prope sunt senes; nisi vere in eos, qui procul abesse videntur, juvenes.*

III. Sunt magna pericula. Multoties enim contingit, ut mater in partu pereat, ut contingit Racheli, Gen. XXXV. et uxori Phinees, 1. Reg. IV. et crebra docet experientia. Itaque nescit mulier an ejus proles sit futura Benjamin, hoc est, filius dexteræ; an vero Benoni, h. e. filius doloris, Genes. cap. cit. Ita nesciunt morituri, an eorum animæ ad Dei dexteram in cælum, an ad dolores sempiternos in tartarum migraturæ sint. Timuerunt certe sancti etiam multi, non timebunt illi, qui de sanctitate parum aut nihil habent? Timent etiam illi, qui hic miseram plane vitam ducunt, ne ibi in miseriorem incidant. Cujus rei exemplum refert

Aeneas Sylvius (postea Pius II. Pp.) in suo comment. in Panorm. lib. IV. n. 1. de quodam cæco, qui ante annos sexdecim lumen se amisisse dicebat, invitatus ad mensam cum aliis pauperibus ab Alphonso Aragonum rege, et in capite mensæ sedens. « Ministrabat huic rex, ac nobis audientibus interrogabat, an cæcitatem moleste ferret? Cui cæcus, nesciens regem esse, qui secum loqueretur: Nisi divina gratia esset adiumento, nemo, inquit, cæcus vivere optaret tanta est miseria cæcitatibus, iis præsertim, qui aliquando lumen viderunt. Tum rex, vellesne, inquit, ex hac vita migrare? Minime, inquit ille. Tum rex: At si miser es, cur e miseria eripi nolis? Nescio, inquit cæcus, an moriens ad majorem miseriam hinc demigrem, nec quo vadam mihi certum est. Tunc unus ex purpuratis: An nescis, inquit, quod pie viventi loca tibi piorum patebunt? Scio, inquit cæcus, tria esse loca, ad quæ dimissis corporibus animæ hominum deferuntur. Piorum animas in cælum evolare, malorum inferna petere, iis vero, qui cum ante fuissent mali, tamen ante obitum suum sese recognovere, et dolentes pro malefactis prius obierunt, quam pœnitentiam agerent, purgatorium locum adeundum esse. Tum purpuratus, si hæc credis et peccato abstines, cur mori nolis? Credo, inquit cæcus, bene morienti bene mihi eventurum. Sed quis est hic, qui bene sese moriturum sciat? Tum rex: Sapit, inquit, cæcus: ex media theologia sententiam profert. Audivit cæcus regem nominari, et quisnam rex esset, regem ipsum interrogavit. Tum rex: Ego inquit, qui loquor tecum. » Pleraque parturientes periculum quidem evadunt, raræ extinguuntur, nihilominus tamen jure merito omnes sibi timent, ne forte sint inter raras illas. Pro fabula refertur, quod tamen ego verum esse non difficile credo, a secretario apostolico scriptum de quodam Neapolitano, qui Vercellis in Cisalpina Gallia habuit hospitale, e quo exiguos proventus capiebat ob multitudinem ægrorum, qui istud incolebant, etiam cum bene sat valerent. Ab his ut se expediret, misit quemdam specie medicum, nomine Petrillum, qui convocatis hospitalariis dixit: Hodie unus e vobis vivus elixari debet pro salute cæterorum: quare sortem mittite inter vos, qui pro aliorum sanitate victima fieri debeat. Eo audito omnes quantumvis male affecti ex hospitali profugerunt: ne unicus quidem aleæ huic submittere caput voluit, Poggius in facit.

Hoc si forte minus fidei habet, ecce tibi aliud fide dignissimum ex vita Sancti Gerardi abbatis Broniensis, apud Sur. 3. oct. in hæc verba: « Per hoc tempus Arnulphus marchio Flandriæ dominabatur, vir valde opulentus quovis genere

divitiarum, uti hodieque claret in ditiori ejus sobole. Is morbo gravissimo vexatus, nullam ex tantis opibus ei potuit adhibere curationem. Recte in eum quadraret versus ille:

Eger dives habet nummos, se non habet ipsum.

Perpetuis enim cruciamentis conficiebat eum calculus, morbus intolerabilis, urinæ meatus obstruens. Multi quidem ad eum advolabant medici, suam peritiam egregie jactantes, ut scilicet a pecunioso homine nummos et lautas epulas emungerent. Aiebant illi incisione opus esse, et sine ea nullam ei posse fieri medicinam. Sed princeps veritus, ne dum vitæ remedia captat, vitam prorsus amittat, non patitur se ulla ratione incidi: porro medici animum ei reddere volentes, illo inspectante, octodecim eodem affectos morbo incidere, eosque omnes, dempto uno qui mortuus est, brevi curarunt. Sed ille unus e vita ablati facile confirmavit comitis animum, ne se pateretur incidi. » Ecce vobis unius interitus ex octodecim incisis absterruit hunc comitem ne periculum incisionis in tantis licet doloribus subiret; quam ergo temerarii suæque salutis prodigi sunt, qui sine timore vivunt, nec ad ultimum conflictum, in quo plerique omnes, qui male vixerunt, pereunt; imo quo in sancti etiam naufragium timuerunt, providere sibi satagunt?

IV. Sunt ibi dolores inevitabiles. Nihil enim certius eventurum novit parturiens, quam pariendi necessitatem et consequentem eam dolores; alit enim fœtum in utero, qui semper adolebit et tandem egressum querit. Nihil est homini certius quam mors. Ex quo enim peccatum introivit in hominem, simul introivit mors. Ita testatur apostolus, ad Rom. V. *Per peccatum mors in omnes homines pertransiit, quæ inter viscera nostra hospitans, instar teredinis, domum corporis nostri perpetuo exedit et ardit, donec plane subruat atque absumat, sicque animam expellat.* Augustus Cæsar capta et expugnata Perusia in plurimos ejus incolas animadvertit, qui cum excusare aut veniam precari vellent, nihil aliud responsi tulerunt, præter id: *Moriendum est, ita trecentos ad aram Julii Cæsaris hostiarum more mactavit, Sueton. in Augusto.* Ex quo tempore nos ejecti a paradiso sumus, *moriendum nobis est, quidquid opponamus.* Pervulgatum id de Alexandro est, diu adulato-ribus aures præbuisse, quasi Jovis filius, adeoque immortalis esset, donec ad Mazagas spiculo in crure sauciatus dolorem sensit, tum dixit: *Si quidem filium Jovis dicit, corporibus tamen ægræ vitæ sentire, Curt. lib. VIII. cap. XXI.* Videntur etiam juvenes aliqui similiter opinari, quasi immortales essent, adeo nil de morte cogitant,

vivuntque quasi æternum victuri. Verum dum et ipsi jam ex dentibus laborant, jam ex capite, vel stomacho, denique dum passim occumbere vident vel audiunt etiam sui similes, mortales se agnoscant. Conantur mulierculæ aliqua ex clanculariis congressibus gravidæ, tegere uterum, ideoque arcte stringere, et virgines se jactare; quæ tamen ad extremum partus angustiis comprehensæ turpiter se prostituunt hominum ludibrio. Ita multi juvenes ac viri videri cupiunt robusti, tametsi infirmetur, nec de morte quidquam audire volunt: interim ab ea sæpe opprimuntur præsentissimo salutis discrimine. Honestæ matronæ non dissimulant uterum, ex legitimo thoro gravidum, sed bene sibi provident, petunt piorum preces, attendunt sibi et fœtui suo, ne quid noxam edant vel bibant, continent se in quiete, muniunt se salutaribus sacramentis, et diem puerperii sui præ oculis semper habent, quasi iis vitæ ultimus esset, aut certe esse possit. Sic oporteret omnes mortales sibi consulere pro felici ex hac vita transitu.

Delinquant hic amici sæpe propinqui infirmorum, qui eis blandiuntur et promittunt sanitatem brevi recuperandam, sicque eos spoliant animæ remediis, vel omnino, vel ad minimum, ut tardius ea suscipiant, cum vix adhuc spirant. Sic in puerperio vana spe jactata fuit Rachel ab obstetrice, in summis partus doloribus ei occinente: *Noli timere, quia et hunc habebis filium.* Verum dum enixa est filium, animam simul emisit, Genes. XXXV. Quod si quis indicium aliquod beatæ mortis desiderat, videat an cum apostolo cupiat dissolvi et esse cum Christo. Quemadmodum enim fœtus cum maturus egredi in lucem conatur, ita qui maturus cælo est, spretis hujus mundi miseriis mori desiderat. Inter alia prædestinationis et hominis in Dei gratia constituti signa, non postremum est, si quis cum apostolo desiderium habeat dissolvi et cum Christo esse, quod hac similitudine declarat S. Ambrosius, in id Psal. CXVII. Memor fui iudiciorum tuorum. Ait enim: « Videmus in sæculo innocentes lætos ad iudicem festinare, edisse moras, celeritatem affectare iudicis. Beatus itaque ille, qui cæleste iudicium lætus expectat. Scit enim sibi regnum cælorum, angelorum consortium, coronam quoque honorum repositam esse meritorum. » Quam et nobis largiatur Deus.

CONCIO IV.

NON SPERNENDA MODICA, E QUIBUS NASCUNTUR SÆPE MAGNA.

I. Suggestio peccati et brevis immoratio. -- II. Pri-

mum peccatum. — III. Peccatum veniale. — IV. Unus perversus in communitate. — V. Lucrum iniquum, etsi modicum. — VI. Lingua seu verbum unum incautum. — VIII. Voluptas una noxia.

THEMA.

Quid est hoc, quod dicit modicum? Joan. X.

Quis crederet, auditores, ex modico uno pomo modice contactu prosilire innumera tela ad undique vulherandum et enecandum hominem? Id tamen arte factum est a Scotica muliere, dicta Fenella, quæ cum Scotorum rex Kennethus Eruthlinthum Fenellæ filium occidisset, mira arte statuam sibi effingi curavit, in cujus manu pomum aureum gemmis ornatum erat, quod quicumque tetigisset, statim plurimis jaculis inde prosilientibus confodiebatur: cumque ad eam visendam regem invitasset, isque pomum tetigisset, hoc artificio et dolo regem nihil suspicantem in Festuarii oppido occidit. Refert Cardanus, de rebus variet. lib. XII. c. LVI. Quis hoc videns non dixisset: Quidnam est hoc? Quomodo e jam modico pomo prodeunt tot jacula: quomodo evibrantur solo ejus contactu? Quomodo mactant hominem? Hinc ergo intelligimus non semper esse fidentium rebus etiam modicis, ut quæ sæpe pariunt mala maxima et innumera. Statuam hujusmodi machinatur dæmon ad perdendos homines. Modicum proponit, quasi unum pomum, auro et gemmis ornatum, telis tamen virulentis undique repletum, cujus vel tactus homines interemit. Plurimi mortalium non capiunt hoc modicum, æque ac discipuli Christi tribulationis suæ modicum. Quare ut cautiore fiat, modica aliquot talia eis proponemus.

I. Modicum quid est suggestio peccati et modica immoratio: maximi tamen periculi, unde immane damnum prodire potest, nisi quam primum suffocetur. Quemadmodum enim caput serpentis modicum sane est, sed ubi id se inseuerit, trahit secum totum corpus et venenum, ita et diaboli prima tentatio licet exigua sit, et circa modicam delectationem versetur, nisi tamen mox elidatur, insinuat se paulatim ad complacentiam et consensum extorquendum. Audiamus S. Hieronymum, in cap. IX. Eccles. « Diabolus, inquit, serpens lubricus est cujus capiti, hoc est, primæ suggestioni resistatur, non est dubitandum quin in penetrabile cordis furtim illabatur. » Quamobrem s. doctor in epist. ad Eustochium scribit: « Statim ut libido titillarit sensum, ut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem: Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi caro. Nolo sinas cogitationes crescere, nihil in te Babylonium, nihil confusionis

adoleseat, dum parvus est hostis, interfice, ne zizania crescat, et detur in semina. » Audi Psalmistam dicentem: « Filia Babylonis misera: beatus qui retribuere tibi retributionem tuam; beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram. Quia enim impossibile est ad sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille predicatur beatus, qui ut ceperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, et allidit ad petram: petra autem Christus est. » Notus est apologus abbatis Achillis de lignis Libani, quæ ubi dederunt hominibus modicum lignum, facto inde securis manubrio, omnia excissa sunt. Minutissimum est semen bombycum, velut parvuli acini: quod tamen admotum uberibus a feminis et calore totum animatur et vermes gignit. Infantulus ille Moses ex aquis sublatus, quia in Pharaonis aula sustentatus et educatus fuit, Pharaonem tandem edomuit et in mare demersit. Hac ratione: « Diaboli primis titillationibus, inquit S. Cyprianus, serm. de jejuniis et tent. Christi, obvian- dum est, nec coluber foveri debet, donec in serpentem formetur. » Et S. Bernard. serm. de triplici jud. « Oportet, si mundas conservare volumus animas nostras, adhuc longe agentibus cogitationibus hujusmodi multa cum indignatione occurrere et exsufflare a nobis, ut nullus eis detur accessus. »

II. Modicum quid est primum delictum quod proinde velut res parva plerumque condonari solet: sed si admittatur et toleretur, trahit post se alia et alia graviora et graviora. Semel enim degustata peccati dulcedo facile repetitur et sensim crescit in assuetudinem, vix emendabilem. Sufficit diabolo ad peccatum primum nos pertraxisse, inde enim facile in alia impellet. Sic enim de structoribus turris Babel dicitur, Gen. XI. « Cœperuntque hoc facere, nec desistent cogitationibus suis, donec eas opere compleant. » Unde S. Chrysostomus, homilia LXXXVII. in Matthæum: « Peccata prima, inquit, gradatim semper ascendunt, quapropter omnino studio atque opera funditus principia peccatorum sunt evertenda: non enim vim delicti solum consideres, neque quia parvum sit cogites, sed illud præcipue tene, quia si radicem non evulseris, magnum in peccatum succrescit. » Et alibi: « Facile est rivum, cum primum a fonte scaturit quocumque volueris flectere; at ubi aliorum fluminum accessione auctus est, vix ulla arte posses ejus impetum reprimere, aut cursum alio deflectere: ita facile est vitium hoc recens natum abscindere; at multorum annorum natum ac roboratum, quis facile superare queat? » Notum est illius senis documentum apud Doretum, serm. XI. cujus jussu

quidam ejus discipulus teneram arbuseulam nullo labore evulsit; adultam vero et annosam arborem nulla vi extirpare potuit. Nec minus celebre est id Platonis, qui cum adolescentem alea ludentem increpasset oggerente illo: *Sic objurgas ob rem parvam? At, inquit, parvum non est assuescere*, apud Laert. lib. II. Pari facilitate dæmon dissolvit et disperdit totam communitatem, si vel modica dissensionis rima aperiat. Quam ob causam monet apost. ad Eph. IV. *Nolite locum dare diabolo*, in quem locum Sanctus Chrysostomus scribit homil. XIV. « Oportet enim omnes pariter esse mutua compactio- ne constipatos, et simul illi resistere. Jubemur itaque ut solutis inimicitias, quas quisque erga proximum habet in unum invicem convertami- ni. Nam ita non poterit unquam locum habere diabolus, quemadmodum si inimicitias inter vos advertitis. Hinc innumera mala generantur. Et quemadmodum quamdiu lapides bene compacti sunt, nihilque vacuum inter se habent, firmi et infracti inter se perstant; si vero vel foramen aut scissuram, quæ capilli locum habeat, fieri contigerit, omnia dissolvuntur ac pereunt: ita et diabolus, donec compacti quidem ac bene compositi fuerimus, nihil suorum omnino poterit inferre. Quam primum vero vel modicum nos relaxare poterit, non aliter quam quidam torrens tolo impetu infunditur; nam ubique illi solis dumtaxat initiis opus est. Et hoc laboriosum est. Si vero nactus fuerit initium nocendi, omnia tibi ipsi subinde suoapte ingenio vestigat et amplificat. »

III. Modicum reputatur peccatum veniale, magna tamen adfert damna. Excludit enim hominem a regno celorum, donec expietur, et addicit poenis purgatorii. Exigua res est pessulus, ocludit tamen ostium, et excludit ab ingressu: sic se habet peccatum veniale. Ad hæc lætificat diabolus, additque ei animum ad fortiores tendendos laqueos, et acrius tentandum. Quid non moliti sunt nequam illi spiritus, ut vel ad levem risum tantum concitarent sanctum Pacomium? Inter alia: « Videbantur uno consensu concutere multa folia arboris, allatis- que funibus ea fortiter colligabant. Utrumque autem flantes se invicem hortabantur trahere folia, tamquam maximum aliquem lapidem. Hoc vero faciebant, sic existimantes cor sancti ad risum dissolvere, ut vel in hoc possent de eo gloriari, » ita in ejus vito Metaphrastes, apud Surium 14. maii. Facile manum arripit, si ei digitum porrexeris; quod miro exemplo docet Godschalcus quidam religiosus apud Cæsarium, lib. V. mirac. et hist. cap. IV. ex quibusdam studiosis Bavaris et Suevis, apud Dolentum una

cum ipso litteris operam dantibus. Cum enim illi a magistro suo necromantico obtinuissent, ut catervam dæmonum exhiberet eis spectabilem, eâ lege tamen, ut nihil ab offerentibus acciperent, et intra circulum descriptum sese continerent, evocati maligni spiritus varios exhibebant ludos, nullo effectu, denique puellarum speciem assumentes circum eos saltabant, et anulum aureum porrigebant, ad quem dum unus juvenum digitum extra circulum extendit, subito per manum a dæmone abreptus non comparuit amplius: nec nisi multa magistri instantia tandem receptus est, totus macilentus et pallidus, quasi e sepulcro resuscitatus: qui malo suo edoctus resipuit, et monachum Cisterciensem induit. Ita nimirum laborat dæmon, ut vel digitum ei porrigamus, quo porrecto non difficile totam manum apprehendat, et e præscripto pietatis et religionis circa nos extrahat. Unicum obtutum coniecit David in mulierem, et inde in quot et quanta mala devolutus est? Unde Sanctus Chrysostomus, hom. XII. cap. VII. ad Romanos ait: « Mulierem non aspicias, neque in theatrum ascendas: multo siquidem facilius est principio mulierem elegantis formæ ne videre quidem, quam postquam spectaveris, irrequietam ex animo, quæ inde nascitur, ejicere tumultuationem. »

IV. Modicum quid est unus homo perversus in communitate; maxima tamen perniciæ et ruina plurimorum. Hoc enim est quod apostolus 1. Corinth. V. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Sive pervertendo eam et sibi similem reddendo, qua ratione unus pravus doctor totam seducere civitatem, una mala et impudica mulier totam inficere domum potest; sive in periculum vitæ conjiciendo; qua ratione unus Achan totum Hebræorum exercitum hostili gladio exposuit: unus Jonas omnes navigantes periculo naufragii: unus Judas (juxta sententiam Sancti Ambrosii) omnes Christi discipuli tempestati objecit. « Non turbatur ista, quæ Petrum habet (navis), inquit, turbatur illa, quæ Judam habet. Esti multa illic discipulorum merita navigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. » Et lib. IV. in Lucam. Alias una hæreseos scintilla modicum fermentum in oriente fuit, et quia non mox extincta fuit, totum pene pervasit et accendit orbem: Lutherus in Saxonia modicum fermentum totam pene involvit Germaniam. Unus Lucifer in cælo pravo suo exemplo quantam perturbationem, quantam angelorum stragem edidit? Apoc. XII. *Caveamus igitur*, subdit Ambrosius loco citato, *perfidum: caveamus proditorem, ne per unum plurimi fluctuemus*. Ozias rex leprosus, non solum dum viveret, regio palatio exclusus est, sed

etiam post mortem regio sepulero sepultus foris in agro, IV. Reg. XIII. quasi etiam cadavera ejus contaminare posset alia regum cadavera. Postquam Jonas e navi ejectus fuit, rediit maris tranquillitas: postquam exturbatus Achan, Deus populo conciliatus fuit: postquam Judas exivit de coenaculo, statim dixit Dominus: *Nunc clarificatus est Filius hominis*, Joan. XIII. Ubi D. Augustinus, tract. XXVI. in Joan. *Exiit Judas, et clarificatus est Jesus: exeunte immundo, omnes mundi cum suo mundatore remanserunt*. Quasi neque Christus suam claritatem, neque apostoli suam puritatem in societate unius improbi obtinerent: eo vero sublato acquirerent. Addit August. *Ubi malorum nullus erit, ibi bonorum nullus perit*. Lucifero ejecto et ad inferos projecto, subdit Joannes: *Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri*, quasi ante hoc dæmonis exilium turbata fuit aula cæli tota.

V. Modicum est lucrum iniquum paucorum aumorum, magnum tamen affert damnum domui universæ, qui plerumque devorat etiam juste parata: quomodo una penna aquilæ junctæ pennis aliarum avium, eas devorare dicitur. Audimus de hoc Chrysost. in orat. de avar. tom. V. « Avaritia, inquit, fermentum quoddam vetus est, quæ quocumque inciderit, quamcumque domum intraverit, impuram eam facit: etiamsi parum ex injustitia lucratus fueris universas facultates tuas fermentabit, propterea sæpe pauca male illata, quamvis multa bona reposita ejecerunt. Quid enim, inquit? Siquidem ex multis avare agentibus non omnes eadem patiuntur; patientur vero maxime etiamsi non mox in ipso peccato patiuntur. Quod si nunc effugerint, tunc vero magis metue: majori enim supplicio asservantur. Quin si ibi effugerint, at hæredes eorum patientur, etc. » Sic ille. Certe propter unicam feminam Saram videlicet, Abrahæ conjugem, contra jus et fas sublatam in domum regis Abimelech minatus est ei Deus subversionem totius domus, nisi eam viro suo redderet, Gen. XX. *Redde viro suo uxorem*, inquit, *si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris tu, et omnia quæ tua sunt*. Quo audito Abimelech statim de nocte consurgens, restituit Abrahæ conjugem suam. En unica aliena mulier, si detenta fuisset, perdidisset regem cum tota aula sua adeoque propriam etiam ac legitimam conjugem filios et ministros: quid mirum si unum alienum bonum, licet exiguum devoret etiam propria et juste acquisita?

VI. Modicum quid est lingua, seu verbum unum incautum: sæpe tamen infert maxima damna, teste Santo Jacobo, cap. V. *Lingua, inquit modicum quidem membrum est et magna exaltat*, h. e. magnas turbas excitat, explicat,

Eman. Sa. et mox: *Ecce quantus, (Gr. modicus) ignis quam magnam silvam incendit?* Quemadmodum enim cuneus modicum lignum est, intrusus tamen in arborem, findit et dissolvit eam; ita lingua pestifera, detrahens aut susurrans levi sæpe verbo dissolvit amicitiam licet arctissimam integrarum familiarum, imo civitatum ac regnorum. Ita enim Ecclesiast. cap. XXVIII. *Susurro et bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit ac dispersit illos de gente in gentem: civitates muratas destruxit, et domos magnatum effodit: virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit*. Convenit hoc cum eo, quod Plutarchus, in moral. scribit: *Unius linguæ dolo et prodicione urbes conciderunt, regna, respublicæ*. Hujusmodi lingua fuit Antipatri, qui parentem Herodem malevolis suis delationibus accendit in odium non modo externorum et aulicorum multorum, sed etiam duorum fratrum, suorum Alexandri et Aristobuli, ut eos neci daret, apud Josephum, l. XVI. Ut enim a minimo grano vel semine gignitur ingens arbor: ita ex uno susurro maxima desidia et bella. S. Gregorius, III. past. admonit. XXIV. « Perpendant, inquit, seminantes, jurgia quam multipliciter peccant, qui dum unam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas simul virtutes eradicant. In uno enim malo innumera peragunt, quia seminando discordiam, charitatem, quæ nimirum omnium virtutum mater est, extinguunt. »

VII. Modicum quid est voluptas carnis, sive percipitur ex peccato, sive fit voluptas carnis, sive inanis gloria, sive vindicta, sive aliud terrenum commodum, quia momento transit: sed ingentes interim in cruciatus desinit, ignis scilicet æterni. Modicum erat mellis, quod gustavit Jonathas in summitate virgæ, quam extenderat ad mel fluens, paululum delibandum, et tamen propter hoc morti adjudicatur. Quo audito sic lamentabatur: *Gustans gustavi in summitate virgæ paululum mellis, et ecce morior*, 1. Reg. XIV. Gustat voluptatem noxiam, qui vel intendit solum peccare, licet non peccat, rursus qui vel delectatur cogitatione rei illicitæ, licet in opus non consentiat. Idem hoc Ecclesiastes hami similitudine explicat, cap. IX. *Sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo cum eis exemplum super venerit*. Quid vilius et exilius uno vermiculo, quem in hamo gustat verius quam vorat piscis? Quid levius uno juniperi grano, quod in area aucupis turdus decerpit? Et tamen dum ille vermiculum, hic granum unum gustat, comprehenditur ille hamo, tegitur ista retibus, et ambo mactantur. Maxima, (quis negare possit?) fuit apud gentes multos velut apud Massilienses et

Tarratonenses, dementia illorum, qui se pro expiandis civitatibus offerebant in hostias et piacula (catharmata appellata) ea lege, ut per sex vel octo menses, ad summum anno in integro saginarentur variis deliciis et summa quidquid liberet, agendi libertate: post exactum vero terminum mactarentur sicut boves; aut in aquas mergerentur, aut simili alio modo pessime intererent; ejusmodi superstitio refertur in vita Sancti Cæsarii, apud Surium, 1. novemb. Quis enim vel parum mentis compos eligeret hanc tam modicam saginam, pro tam dira morte? Quantum enim est libertas et voluntas sex vel octo mensium? At hac, imo crassiore longe, laborant dementia, qui pro fluxa et pene momentanea unius illicitæ et vilissimæ voluptatis usura æternos gehennæ cruciatus eligunt. Itaque tales magis deplorandos quam commemorandos ait S. Bernardus, in opusc. de charitate, capite XV. « Quam fallax et dulusoria sit illa felicitas pernicioza, quam plerique in carnis voluptate constituunt, in libro experientiæ legitur incessanter, dum cito præterit quod delectat, et permanet sine fine quod cruciat. Sed de talibus legendum sentio potius quam loquendum. » Denique: « Omnis delectatio, ait idem, in serm. de S. Clemente, hujus mundi, universa ejus gloria, quidquid denique in eo concupiscitur, prorsus modicum est in illius beatitudinis comparatione, si tamen vel modicum dici debet, et non potius nihilum, vapor ad modicum parens. » Quisquis ergo sapit, caveat sibi ab his, quæ dixi, modicis, ne inde pertrahatur ad magna incomparabilia damna.

CONCIO V.

JUSTOS CUR SUBINDE DEUS AD MODICUM DESERAT, ET QUI REQUIRENDUS.

I. Ut castiget levia eorum peccata. — II. Ut in humilitate eos contineat. — III. Ne donum cælestis nobis ipsis tribuamus. — IV. Ne Deo propter hoc præcise serviamus. — V. Ut donum consolationis pro merito æstimemus. — VI. Ut illis desolationibus cor nostrum expurgetur. — VII. Ut ferventius requiratur.

THEMA.

Modicum et non videbitis me. Joann. XVI.

Quod dilectis suis discipulis prædixit in cæna Dominus, se ad modicum temporis ab eorum oculis et suavissimo commercio subducendum esse, in passione et morte: quodque paulo post apostoli ingenti suo luctu experti sunt, id sentiunt sæpissime etiam alii pii, quamvis sancti et perfecti non minore suo mœrore; ita videlicet ut modo in orationibus suis omni gustu ca-

reant, et arescant plane, deficiente cælesti pluvia: modo in anima sua omni destituantur cælesti consolatione, ut ex rebus spiritualibus nullam omnino percipiant animi lætitiã: modo etiam tædio et languore adeo premantur, ut nullo prorsus appetitu afficiantur ad pia exercitia; sed omnia arida et insipida eis fiant. Neque hoc recens aut mirandum, sed jam olim prædictum a Deo est per Isaiam, capite LIV. *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui*. Hanc sponsi abscessionem sensit Sanctus Franciscus, Sancta Catharina Sennensis, Sanctus Antonius, qui subinde gemibundus exclamabat: *Quam libenter essem bonus Domine! Sed cogitationes meæ non patiuntur*. Idem querebatur Sanctus Bernardus, serm. LIV. in Cant. exclamans: « Exaudi Domine cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua tibi: nec compungi ad lacrymas queo: tanta est durities cordis. Non sapit Psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. Ubi illa inebriatio spiritus? Ubi mentis serenitas et pax et gaudium in Spiritu sancto? » Ita sanctus hic lamentatur suam desolationem, sed quid tandem est, quod ita nonnunquam Deus servos suos deserat? Audiamus causas. Deserit ad modicum.

I. Ut hac sui subtractione castiget levia quædam eorum peccata per patientiam expianda. Sicut enim pater filio indecens quid agenti, tristorem ostendit vultum, ut errorem commissum ei insinuet et corrigendum moneat: ita et Dominus justis minus circumspice se gerentibus, subtrahit ad tempus hilarem suam faciem; quomodo etiam David Absalonem quidem recepit in civitatem ab exilio, faciem tamen ei suam non exhibuit: *Revertatur in domum suam*, inquit, *et faciem meam non videat*, II. Regum XIV. quo delicti scilicet sui gravitatem intelligat et expiet. Contingit etiam justis interdum, ut divinis inspirationibus aures ocludant, et pulsare Deum ad ostium cordis sui diutius sinant; et quandoque etiam frustra. Quare nil mirum si Deus talione eos puniat, et diu pulsandus velut surdus foret, non audiat, sed desolatos stare, et pulsare permittat. Pater filium vini dulcedine inebriatum ita castigat, ut desideratum ei vinum subtrahat, aut modica quantitate porrigat: cupedias frugum, quibus afflixi valetudinem filius, negat ad tempus: ita qui creaturarum amore non nihil inescari et in illis querere suam delectationem cœpit, meretur privari consolationibus divinis, ut abjectis illis vilissimis illecebris revertatur ad solidas. Id